



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

CCCXLIX. Raptoris pater, dementiae reus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

timui educere, si cum tanta conspiratio in civitate nostra nocentium esse diceretur, ut prodere possent etiam ex carcere, vel cum tota sua custodia eos obrui malui? His illud quoque adjici potest, plurimum differre, utrum quis supplicium exigat ab indemnatis, an si aliquos securitatis publicæ causa occiderit, supplicium vocetur, quod civitas præstitit. Si vero hoc pro salute communi fuit, non odio illorum factum est, imperatoris fortasse consilium reprehendi potest, factum certe damnari non potest.

S E R M O.

In summa parte controversiarum talium quæri solet, ecquo animo fecerit hoc imperator? In hanc partem satis firmam causæ fiduciam videtur habere: quid enim huic proferunt inimici præter odium commune omnium proditorum?

CCCXLIX.

Raptoris pater, dementiæ reus.

RAPTOR, NISI ET SUUM PATREM EXORAVERIT ET RAPTÆ, INTRA XXX DIES PEREAT. Raptuit quidam: exoravit patrem raptæ: suum non exoravit: Dementiæ accusat.

S E R M O.

Non dubie pater hic intelligi vult, se filii sollicitudine esse contentum, & hanc xxx dierum moram pro ultione habere. Sed hoc si palam indicaverit, perdet artem: & si liberare filium sollicitudine

semel
mni educere. puta in forum, ut convincerentur apud iudices, & tum demum lege cum illis ageretur. Sic Declam. 322. *Educendus tamen ad magistratus.* Ita enim ibi quoque scribo: non *Deducendus.* Declam. 270. *Pater alteram eduxit ad magistratus.* Gronovius.

I Similis huic & ejusdem argumenti declamatio est apud Senecam lib. 2. declam. 4. & lib. 3. controvers. 12. Ex hac facies iudicium. Item in Sermonibus observabis eadem hic præcepta tradi, quæ ab eodem lib. 9. cap. 2. Est latens (in-

quit) & illa significatio, quæ cum jus asperius petitur à Iudice, fit tamen spes aliqua clementiæ: non palam, ne paciscamur: sed per quandam credibilem suspicionem, ut in multis controversiis, sed in hac quoque, Raptor nisi intra trigesimalium diem, & raptæ patrem & suum exoraverit, pereat. Qui exorato raptæ patre, suum non exorat, agit cum eodem Dementiæ. Nam si permittat hic pater, lis tollitur: si nullam spem faciat, ut non demens, crudelis certe videatur, & à se Judicem avertat. *Ærodius.*

semel destinavit, ¹ brevius habet statim ignoscere. ² Varianda erit ejus actio, ut filium dicat morte dignum: an posset ipse perseverare, dubitet. Non tamen prætereunda sunt illa quamvis communia cum aliis controversis generis hujus, quæ circa ipsam quæstionem dementiæ versantur. Negabimus enim crimine uno posse deprehendi dementiæ: & hoc propositum nostrum adjuvabimus finitione, ut dicamus, Dementiam esse ablatum rerum omnium intellectum: alioqui neminem tam felicem, qui non aliqua pœnitentia digna faciat, qui non subjectus sit errori: & hoc proprium non dementiæ esse, verum hominis. Atque ad hoc quod commune cum omnibus est, aliquid etiam proprie applicabimus, quod ejus generis dicitur dementiæ esse, de qua judicium est, ³ ut emendari uno verbo possit. Porro cum adeo confessum sit, dementiæ non posse curari, ut ne illud quidem adhuc inveniri potuerit, quæ causa faceret dementiæ, ⁴ ubi animus confisteret: profecto non poterit videri dementiæ, quæ est in hominis potestate.

DECLAMATIO.

Slexoratus fuero, statim non modo sanus, verum etiam bonus pater & indulgens ero. Vis scire, fili, quid sit Dementia? Deducere se in periculum capitis cupiditate: non intelligere pacem, non intelligere leges: & si quid supra hac momenti fortuna præsens judicium habet, accusare eum, qui exorandus sit. Non est igitur dementiæ. Nec refert ad præsens judicium, neque ad vestram pronuntiationem, an ego durus pater, an ego nimium severus.

Non

¹ Brevius habet statim ei ignoscere.] Hoc est, non expectato legitimo tempore, quod fuit xxx. dierum. Agit enim hic filius præmature, & mediis diebus accusat, ideo quia exorato patre ejus quæ rapta est, statim suum exorari putavit oportere, si quidem sanæ mentis esset. Verum pater differt ob eam causam, quod (ut Junius Gallio dicebat) hinc injuria est, hinc natura: & facilius est injuriam donare, quam crimen. *Idem.*

² Varianda erit ejus actio.] Id est, coloribus & ad speciem accommodatis

verbis, exornanda erit ejus actio & oratio. *Idem.*

³ Ut emendari uno verbo possit.] Seneca ex Gallione, Tu non mecum agis, quod non exorasti: sed quæ non exoraturus es. Puta enim hodie me exorari demens, num ego demens videbor, qui uno me verbo sanare possim? Ita enim restitui. *Idem.*

⁴ Ubi animus confisteret.] Nempe illud est quod ex Ælio Fusco ait Seneca, Non possum exorare: tandiu novo more objicit dementiæ constantiam. *Idem.*

I Non

Non de hoc quæritur: satis est, non esse furiosum. Non exoro te, inquit, cum rapuerim. Miraris? Hoc enim est, quod te in hoc impulerit: adhuc quid feceris, nescis. Non dico illa, quæ fortasse tibi leviora videantur, quæ ad materiam pertinent: Expugnasti domum, & virginis prætextam scidisti, & puellam usque in eam injuriam traxisti, qua nihil gravius bella habent. Tu, qui in id te periculum demisisti, ut tibi exorandus esset pater, miraris, quod non exorasti patrem? Si incidisses in illos felicioribus seculis natos, cum quibus virtus magis commune bonum erat, non expectassent legem, ¹ non expectassent tricesimum diem. Nunc me merito contemnis: flentem aliquando vidisti: non auderes accusare patrem, si timeres. Tu si incidisses in illum, ² qui laudatas filii tui cervices amputavit, si incidisses in illum, qui judiciis propinquorum atque amicorum contentus fuit, opinor habuisses tempus querendi? habuisses tempus: non dico deferendi patrem, sed diutius rogandi? Illi vere fortes & viri fuerunt, qui cum hoc meminissent, liberos à se reipublicæ gratia procreatos, ³ bene impendi crediderunt exemplo. Ego tacere contentus sum, cum exorari debeam. Sic agis mecum, tanquam etiam, si præstitero tibi, plus alii debiturus sis. Confutabit, opinor, indulgentiam meam: Ille melior, ille mitior. Ego vero facilius frangerer, si ille irasceretur. Aliquis cum filia illius rapta sit, tam cito exoratus est? quis est ille tam demens? quid est istud, quod ille se accepisse injuriam non putat? quod omnia sic agit, tanquam exoratus ante tricesimum diem? Quid ergo, inquit, occides?

Debeo,

¹ Non expectassent tricesimum diem.] Quæ mora ob duriores & severiores patres lege concessa, ut hoc intervallo mitiores fiant & indulgentiores. Idem.

² Qui laudatas filii sui cervices.] Nic. Faber mavult laureatas. Cui optimo & amicissimo viro lubens adsentior. Pith. Qui laudatas filii sui cervices.] Brutum, Cassium, Posthumium Tiburtum, Man-

lium Torquatum, Aulum Fulvium, & alios ejusdem notæ severitatis intelligit. *Ærodius.*

³ Bene impendi crediderunt exemplo.] Frontinus 4. Strateg. 1, 33. circumacta ad litus universa classe comprehensum supplicio affici jussit, & quem occisuri per ignominiam hostes fuerant, exempli potius impendit. Gronov.

Debeo, si quid in me fuerit fortis animi: si quid virtutis incorruptæ, faciam: duret tantummodo animus, non deficiam, non defleat. Etiamnum fortis sum: etiamnum posse videor: sed supersunt dies. Non blandior tibi: quotidie me hortor: & instigo animum meum, & totam sceleris tui deformitatem pono ante oculos: & illud nescio quid, quod persuasioni meæ repugnat, volo perdomare. Bene facis, quod accusas, turpiter deficiebam, prodebamque necessarium civitati exemplum: jamque in eam venturus eram hominum suspicionem, ¹ tanquam me permitte fecisses. Hoc age: dic insanum, dic furiosum, dic longe ab intellectu sanguinis sui positum. Vide ne roga-veris. Quid enim acturus ad genua provolvendo, adhibendo amicos, flendo in pectus meum? ² insanus sum, nihil sentio, ad illum patrem tuum.

C C C L.

Aqua frigida privigno data.

Qui habebat filium, amissa matre ejus, aliam uxorem duxit. Incidit in gravem valetudinem filius: convocati sunt medici. Dixerunt moriturum, si aquam frigidam bibisset: dedit illi noverca aquam frigidam: perit juvenis. Noverca accusatur à marito veneficii.

DECLAMATIO.

Veneficii ago. filium meum periisse, & ea potione, quam dederit noverca, periisse, non difficile probabo. Nam & datam à se potionem non negat: & eam periculosam fuisse, quæ prædicta sunt, ostendunt. Ne ignorantia quidem defendi potest: id quod accidit, denuntiatum est. Itaque non tam in defensione fiduciam habet, quam in lege: nec tam dicere potest, scelus se non fecisse, quam illud,

¹ *Tanquam me permittente.*] Quintil. supradicto loco, Nam si permittat hic pater, &c. Seneca lib. 2. decl. 4. Putas me accusatori permitturum, quod filio negavi? ita enim legendum est, non, promittendum, & postea, me miserum

quia pene permisi, non, qua poene. *Ærod.*
² *Insanus sum, nihil sentio.*] Seneca, Ego moriar, inquit. hoc si reo dicis, non curo: si Judici, videbo: si dementi, non intelligo. In iis quæ sequuntur aliquid deest. *Idem.*